



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 1. Ostenditur evidens Credibilitas religionis Catholicæ ex gloria  
Miraculorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

objecti primarij fidei, ratione cujus dicatur visum, quod credebamus, & quæ revelantur, dicantur non visa in merito saltem objecti primarij; ut enim diximus num. superiori, objectum divinæ fidei est in hoc sensu non visum. Quamobrem non teneri paritas, quantum ad præsens institutum à fide humana ad divinam; nam testimonium humanum intuitivè visum, non est dignum firmiori assensu, quam sit dignum assensu objectum dictum, & per eviden-

tes præmissas nobis demonstrarum, cui per evidentem conclusionem assentimur. Unde licet cum hac scientia non possit componi in eodem intellectu fides humana, adhuc potest componi fides divina. Cæterum de his latius infra, quando quæremus, an scientia, fides, & opinio circa idem objectum possint in eodem intellectu simul reperiri; vel in eodem, vel in diversis a-

tibus.

## DISPUTATIO XIII.

### AN FIDEI NOSTRÆ MYSTERIA SINT EVIDENTER CREDIBILIA, ET CREDENDA:

569. **M**agnum esse discrimen inter mysteria evidenter credibilia, & credenda, atque inter mysteria evidenter vera, jam supra notavimus: ut enim sint evidenter credibilia, & credenda, satis est, quod proponantur nobis sub illis motivis, quæ nobis demonstrant obligationem credendi, & assentiendi absque ulla formidine Deo revelanti, ex merito divini testimonij nobis ita representati. Ut autem sint evidenter vera, ulterius requiritur, quod non solum habeamus evidentiam de credibilitate, & obligatione credendi; sed & de eo, quod res ita se habet, ut affirmatur; quæ duo valde diversa sunt, ut manifestè patet exemplo: quando enim invenientur in foro Petrum repente occisum, ibique essent mille homines, quos semper probos, & veridicos agnovi, omnesque mihi dicerent, Franciscum occidisse Petrum, homicidium factum à Francisco, esset mihi evidenter credibile, & juxta meritum testimoniorum credendum, quin exinde esset mihi metaphysicè certum; quandoquidem nulla esset metaphysica contradictio, si illi homines convenissent ad falsum asserendum, proindeque falsum esset, quod Franciscus occidisset Petrum. Quapropter, ne confundamus hæc duo longè diversa, agimus in hac disputatione de evidentia credibilitatis Religionis Catholicæ, sive mysteriorum nostræ fidei, actuari disputatione sequenti de evidentia mysteriorum. Cæterum, quia evidentia credibilitatis habetur quàm maxima ex diversis testimonijs ad eandem veritatem comprobendam conspirantibus; quandoquidem difficultas, quæ vinci debet ad coherentiam testimoniorum adedè diversorum, nobis suadet, eam victoriam reportari tantum vel ab ipsa veritate, vel ab Authore veritatis. Exinde ex pluribus ejusmodi testimonijs, quæ suadent Religionem Catholicam esse credendam, facile ostenditur evidentia credibilitatis. Quare eam ostendamus primò ex gloria miraculorum. Secundò, ex Prophetijs, & Oraculis. Tertio, ex victoria difficultatum vires naturæ superante in propagatione Catholicæ Religionis. Quarto, ex gloria Martyrum. Quin-

to, ex notis veræ Ecclesiæ. Sextò, ex comparatione cum omnibus falsis Sectis, nempe Paganismo, Judaismo, & Hæresi oppositis Religionis Catholicæ. Septimò, ex solutione omnium, quæ in oppositum excogitata sunt. Hæc enim tam diversa, & quæ tam amico scedere conspirant ad contextandam credibilitatem Religionis Catholicæ, illam manifestè reddunt evidenter credibilem. Sic et quod humana testimonia propter naturæ fragilitatem facile disconveniant, & ut dici solet, quot capita, tot sententiæ, cum videamus omnia conteltari, dari Constantinopolim, prudentissimè inferimus, eam victoriam ab humana fragilitate reportatam in convenientia tot testimoniorum, non haberi, nisi ab ipsa veritate, vel ab Authore veritatis; proindeque existentia Constantinopolis redditur nobis evidenter credibilis. Quare, ut hoc modo progrediamur in præsentem sic

## SECTIO I.

### Ostenditur evidens credibilitas Religionis Catholicæ ex gloria miraculorum.

**R**eligionem Catholicam esse quidem evidenter credibilem, & credendam, docent ferè omnes Theologi cum D. Thoma 1. 2. art. 4. & 1. contra gentes art. 6. quod & P. Amico valde probabilè videtur, esse de fide, ex illo Psalmi 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Etenim per testimonia divina ea intelliguntur, quæ Deus testificatus est, qualia sunt mysteria nostræ Religionis, quæ, ut exponit Lyranus, *Credibilia facta sunt nimis, id est, magis, quàm prima principia scientiarum.* Ostendunt enim nobis motiva credibilitatis obligationem credendi, absque ulla formidine illis divinis testimonijs super omnia, quod sine evidentia credibilitatis stare non potest. Unde Augustinus lib. 7. Confessionum cap. 10. ait: *Facilis dubitarem, vivere me, quàm esse veram, quæ audivi.* Sed hæc omnia

omnia manifestè significant, mysteria fidei Catholicae esse evidenter credibilia; ergo &c. Cæterum, quia in præsentibus rationibus agendum est hac de re clariùs, & fusiùs, probo aliter conclusionem ex medio, quod Sectionis titulo præfiximus.

571. Probatum igitur conclusio ex gloria miraculorum; vera enim miracula facta in contestationem veritatis Religionis Catholicae, cum naturæ vires exsuperent, reddunt nobis evidenter credibile, Authorem hujus Religionis esse Deum, qui, cum sit prima veritas, non potest approbare Religionem falsam pro vera. Unde sic efformatur argumentum. Nulla alia Religio habet miracula ita maxima, & manifesta, qualia sunt resurrectio mortuorum, visus cæcorum, gressus claudorum, sanitas repentina languentium, contra causas naturales, earumque exigentiam, aliæque hujusmodi, quæ in sacris, & humanis historijs continentur, & quæ secum præferunt vera signa miraculorum realium, & non apparentium; quandoquidem plura eorum facta sunt sub præmissa præfatione, quod fiebant in confirmationem doctrinæ divinæ; ut contigit in resurrectione Lazari facta in signum divinitatis Christi, & ut videntes crederent; & in Virgineo partu Deiparæ promisso in signum divinitatis Filij; in alijs, quæ Christus per Internuntios suos Joanni dixit: *Renuntiate Joanni, quæ vidistis, cæci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur.* Sic Petrus in signum veritatis Religionis Catholicae claudendo ex utero matris suæ dixit Actorum 3. *In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula: & apprehensa manu ejus dextera levavit eum, & protinus consolida sunt bases ejus, & plantæ, & exiliens stetit, & ambulabat, & intravit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum, & vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.*

572. Similia autem miracula visa sunt semper in Ecclesia Dei, quæ operati sunt sancti Viri in contestationem veritatis Religionis Catholicae, quin ulla admixta haberent signa dubia, sed omnia clara erant pro veritate miraculorum; proindeque credi nullo modo poterant facta esse, nisi Authore Deo, non enim aliter potest homo prudenter judicare; etenim Simon Magus, quia apparentia, & non Authore Deo signa faciebat, habuit Petrum à Deo missum, qui audaciam ejus reprimeret, & mendacium ostenderet: pariter Magi in Ægypto, qui fallacia signa faciebant, habuerunt Moysen à Deo missum, qui fictionem maleficorum ostenderet, ut habetur Exodi 7. *Projecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in Dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Pariter in fine mundi apparentia miracula Antichristi habebunt secum signa falsitatis, mittetque Deus Eliam, & Enoch, ut illorum signorum fallaciam deregant, de quo sumus jam à Christo Domino præmoniti. At miracula,

R. P. Gorman Theolog, Tom. 1.

quæ sunt in confirmationem Religionis Catholicae, & contestationem veritatis mysteriorum Fidei, ut historiae omnes ostendunt, nullum falsitatis signum perferunt; sed manifesta judicia veritatis. Sic de S. Francisco Xavierio in lectionibus suis legimus: *Plures mortuos revocavit ad vitam, inter quos pridie sepultum erui jussum è tumulo suscitavit, duosque alios, dum efferrentur, apprehensa eorum manu parentibus è feretro vivos restituit.* Quæ ex modo, & duratione sine ullo apparente falsitatis signo, satis ostendunt, non posse homines prudenter aliter judicare, nisi quod hæc miracula facta sint Authore Deo; ergo ex illis mysteria Catholicae fidei redduntur evidenter credibilia.

573. Probatum, & instauratur aliter præcedens ratio efficacissimo hocce Augustini Dilemmate: *Vel Religio Catholica tot, & tantas difficultates contra carnem, & sanguinem superavit, & per totum orbem se extendit contestante Deo veris miraculis, & portentis hanc doctrinam, vel non? Si primum; ergo per illa vera miracula redditur evidenter credibile, hanc Religionem esse à Deo, & hæc mysteria fidei Catholicae esse vera.* Illa quippe miracula vera sunt, quasi signa Dei, quæ Deus nos instruit, ut omnes fateantur, & habet Augustinus tract. 24. in Joannem, *Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo? habent enim, si intelliguntur, linguam suam; vel, ut alij docent, sunt sigillum divinitatis, quo Deus ea, quæ credenda proponit, obfirmare solet, proindeque ex eo nobis demonstratur, mysteria Religionis Catholicae esse à Deo, utpotè eo miraculorum sigillo sigillata.* Si secundum; ergo in hoc ipso apparet unicuique prudentium magnum, & verum Dei miraculum, quod nempe sine ullis alijs prævijs miraculis Religio Catholica per totum orbem tot, & tantas difficultates à natura insuperabiles superavit. Unde hoc jam esset miraculum, quod, quasi lingua & sigillum Dei redderet nobis evidenter credibilem Religionem Catholicam.

574. Audiamus Augustinum in oratione contra infideles, ita differentem: *Cum constet, Romanum Imperium, universumque orbem tot Potentibus vivis Philosophis, Oratoribus refertum, Christi doctrine ante repugnantem ad eam postmodum fuisse conversum, quero, an virtute signorum, vel prodigiorum ab antiquis ritibus, diuque observata Religione in hanc novam, & inauditam sit hæc facta mutatio? si fateberis, mundum ad hanc persuasionem tractum fuisse vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit, à Deo Authore miraculorum, & qui facit mirabilia magna solus, Religionem hanc processisse; si autem negas, ullis miraculis mundum ad hanc recipiendam fidem fuisse provocatum, negandò miracula, ingens miraculum ingeris. Quid enim mirabilius, quam Romanum Imperium, to-*

támque gentilitatem Religionem, quam acriter impugnabant, subvertere, quae moliebantur, desertis ritibus paternis, nullis visis signis, mirandisque operibus, sed sponte sesecepisse, & in ea retinenda tam constantes fuisse. Et lib. 22. de Civitate Dei cap. 5. sub finem. Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem, atque ascensionem predicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt: hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod ea terrarum orbis sine ulla miraculis credidit.

Quo etiam argumento tanquam manifestissimo utitur. D. Thomas lib. 1. contra gentes cap. 6. Omnibus signis admirabilius esse, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, mundus absque mirabilibus inductus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus. Quare non immeritò dixit Richardus à S. Victore libro de Trinitate cap. 2. ait: Domine, si est error, à te decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quae non nisi per te fieri possunt.

575. Neque cordatus ullus dubitare potest, si ad vim miraculorum attendat, facta quidem esse ex vi miraculorum testimonia Dei evidenter credibilia; unde Christus Joannis 20. v. 25. dicebat: Opera qua ego facio, haec testimonium perhibent de me. & v. 38. Si mihi non vultis credere, operibus credite. Quapropter adeò accuratè notavit Scriptura mirabilia, quae facturi erant pseudo Christi, & pseudo Prophetæ, aut ipse Antichristus, fore mendacia; sic Paulus de Antichristo 2. ad Thessal. 2. ait: Cujus adventus est secundum operationem Satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. Ex quo homines jam praemuniti excusationem non habeant, si illa accipiant, ut linguam, & sigillum Dei. Quare, ut ait Eximius Doctor, illi, qui Antichristi, & Pseudo-Propheatarum signa accuratè intueantur, dignoscant, si prudenter velint judicare, non quidem vera, sed falsa esse, & ope Dæmonum facta; ex pluribus quippe circumstantiis dignoscenda sunt prodigia, verane, an falsa sint, nimirum ex fine, materia & forma; scilicet, si ad malum aliquid fiant, & non ad bonum, & honestum; si sanitas restituta non multum durat, sed apparenter, & citò transeat; si, quod sit, non excedat vires naturæ, neque vim Dæmonis, qui opera parùm durantia facere solet.

576. Quapropter S. Lucas, ut tanto certius constaret de miraculo, quo S. Petrus hominem claudum curavit, notavit Actor. 4. eum, quando sanus factus est, annorum fuisse amplius quadraginta, & sanitatem postea conservasse: Dæmon quippe vel morbum, vel sanitatem brevem facile dissimulat, non diurnam. Nec Deus permittet, ut miracula fiant apparentia, quin viam relinquat ad ostendendam falsitatem, ut constat ex num. 572. Quare Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 16. dixit: Quaedam vero (id est Dæmoniorum miracula) etsi non-

nullis priorum factis videantur opera coequari, si-  
nis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter haec  
nostra ostendit excellere. Quare, cum illa opera  
Diaboli deserviant ad comprobandum oppo-  
situm, quod approbant Catholicorum mira-  
cula, non possunt utraque esse vera, proinde-  
que sola excellentiora, qualia sunt Catholi-  
corum miracula, sunt vera, juxta id, quod ra-  
tio naturalis dicitur, & naturale lumen ostendit.  
Etenim in veris miraculis relucere Deum  
Autorem, quasi naturæ lumine inferunt  
omnes omnino gentes; ut ostendit satis histo-  
ria Lutheri apud Staphilum, qui actioni inter-  
fuit, & testatum reliquit libro, qui inscribitur  
absoluta responsio; Lutherus enim, ut à  
miraculi testimonio nomen sibi obtineret Pro-  
phetæ à Deo missi, promisit se nomine Dei li-  
beraturum sceminam à Dæmone possessam,  
sed post ingeminatos clamores, & irrita co-  
namina, tandem ipse à Dæmone in eas angus-  
tias redactus fuit, ut vix vivus evaserit.

Tantam quidem vim agnovit Lutherus in  
ipsis miraculis ad prudens judicium efforman-  
dum, ut censuerit, satis esse unum, quod lingere  
posset, ad suam doctrinam stabiliendam.  
Unde teste Cochleò in vita Lutheri, cum  
quendam nomine Nessæum Lutherus in Al-  
bi submersum comperisset, spei plenus accu-  
rit, preces prolixas ingeminavit; sed nihil proficit,  
sacra carmina de morui auribus infur-  
rat, sed hæc furo canit; denique, cum ni-  
hil intentatum relinqueret, ut cadaveri vo-  
cem aliquam, aut motum extunderet, non aliud,  
quam spectantium risum, & opprobria  
impetravit, quin in hoc Lutheri facinore, nul-  
lum, nisi temeritatis, & audaciæ prodigium  
spectavere: alia his similia, nec dissimili e-  
ventu tentarunt alij Lutherani apud eundem  
Cochleum ad annum 1533. qui, ut se veridicos  
Prophetas populo probarent, diem extre-  
mi Judicii à se designatum præ foribus adesse  
pronunciarunt. His Prophetis creduli nimis  
agricolæ, ferere, & arare desierunt, sed  
& vivere brevi desissent, nisi inani expecta-  
tione tandem edocti in ministris suis vanos va-  
tes agnovissent.

577. Similia etiam varijs actibus, & machina-  
mentis tentavit Calvinus, ut aliquo saltem  
miraculo doctrinæ suæ fidem conciliaret. Hi-  
storiâ refert Arsdekin tomo 1. Theologiæ tri-  
partitæ cap. 3. per hæc verba: Teste Bolleco in  
vita Calvini cap. 13. Vir inops Brulleus no-  
mine, cum uxore Hosluno Genevam demigrat,  
à Calvino inopiæ suæ subsidium postulat; an-  
nuit per benignè, si illi vicissim in adornan-  
da quadam miraculi specie operam suam, &  
fidem commodaret. Brulleus, ut jubetur, mor-  
bum simulat, ministri pro concione ægrum  
populi precibus commendant, paulò post mi-  
ser ille, ut prius ægri, ita nunc defuncti per-  
sonam induit, monetur Calvinus, & qualiter  
ignarus cum amicorum caterva ad defuncti  
domum divertit, ubi eum Brullei uxor plo-  
ravit,

ratu, & lacrymis scenicum hoc funus egregie adornasset, Calvinus in genua provolutus, & fufis ad Deum precibus rogat in testimonium suae doctrinae, defunctum hunc ad vitam suscitari, atque apprehensa ejus manu alta voce, iterum, iterumque imperat, ut se erigat, & ad vitam redeat. At ecce novum miraculi genus; qui se mortuum simulavit, jam verè mortuus reperitur, quo viso uxor attonita, & in ferias lachrymas, & quarelas effusa infaustas Calvini technas omnibus ex ordine referavit. Interea manlit mulier infelix sine viro, & Calvinus infeliciof sine miraculo.

579. Quàm aliter se habeat Religio Catholica, vel ipsi Adversarijs notius est, quàm quòd probationibus indigeat: etenim de miraculis Christi, & Apostolorum satis narrat Scriptura; plura etiam leguntur facta miracula ab alijs Apostolorum coeternijs, & à successoribus eorum, quæ scripserunt SS. Patres, ut Athanasius in vita S. Antonij, Nissænus in vita S. Gregorii Taumaturgi, Hieronymus in vita S. Hilariionis, Ambrosius in libro de virginibus, Augustinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 8. Severus Sulpitius in vita S. Martini, Theodoretus in vita S. Simeonis Stylitæ, & Gregorius Magnus in Dialogis. Videatur Bellarminus lib. 4. de notis Ecclesiae cap. 14. ubi ostendit, quòd Ecclesia Dei à primo usque ad præsens nostrum Sæculum gloriâ miraculorum semper claruerit, & Syllabum Sanctorum affert, qui miracula operati sunt, Authorisque omni exceptione majores, qui illa per singula Sæcula distinctè referunt.

580. Ex quo ita denudè instauratur, & conficitur argumentum, præsertim contra Hæreticos admittentes Scripturâ: Christus Dominus eodè modo contulit verâ Ecclesiae potestatem prædicandi fidem, & potestatem operandi miracula; dixit enim Marci 16. *Euntes in mundum universum predicare Evangelium omni creature:* & statim subdidit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequuntur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid bibent, non eis nocebit, super egros manus imponent, & benè habebunt.* Atqui in Ecclesia Christi hoc tempore perseverat potestas prædicandi fidem; ergo etiam virtus operandi miracula; atque e contra, ubi non perseverat potestas patrandi miracula, neque perseverat potestas prædicandi veram fidem. Modò sic: in nulla alia Religione, nisi in Catholica Romana perseverat gloria miraculorum; ergo in nulla alia, nisi in ista Religione perseverat potestas prædicandi veram fidem, proindeque ex miraculis evidenter apparet credibilis, & credenda Religio Catholica. Confirmatur. Christus Dominus absque ulla temporis limitatione concessit veræ Ecclesiae potestatem operandi vera miracula; ergo sine ulla sufficienti ratione asseretur, hanc potestatem illi ereptam esse, præser-

R. P. Gorman Theolog. Tom. I.

tim, cum nullo modo ostendi possit, quomodo, aut quo tempore potestas ista fuerit revocata; immò potius assidua tot miraculorum experientia probat potestatem istam adhuc in Ecclesia Christi perseverare, ut constat ex numero superiori; ergo &c. Quare Augustinus romo 6. contra Epistolam fundamenti cap. 4. nervosè dixit: *Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissime teneant, tenet consensus populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, veritate firmata.*

## SECTIO II.

Ostenditur eadem veritas ex Prophetiis, aliisque notis.

581. **P**Rob. Conclusio ex dono Prophetico; etenim Prophetiæ, quæ, ut prædicuntur, verè videntur adimpleri, non possunt prudenter credi, nisi quatenus habent pro Authore Deum; unde Isaïæ 44. dicitur: *Annunciare, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dñs estis vos; ideòque Origenes lib. 5. contra Celsum, futurorum prædictio, Divinitatis nota est & character.* Et Tertullianus in Apologico, cap. 20. *Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis.* Tum etiam Apostolus 1. Corinth. 14. *Si autem omnes Prophetæ, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, judicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta sunt, & ita cadens in faciem, adorabit Deum pronuncians, quid Deus verè in nobis sit.* Et e contra Deuter. 18. ponitur tanquam nota falsæ doctrinae, si Prophetæ prædixerit aliquid, & non evenerit; veritas enim Prophetiæ lumine naturæ habetur ita excendens creaturæ limites, ut solùm haberi possit Authore Deo; atqui veritate Prophetiarum comprobatur veritas Religionis Catholicae; ergo hoc fundamentum satis est, ut fiat evidenter credibilis Religio Catholica. Probatur min. Prophetæ Veteris Testamenti multa ante sæcula omnia ferè quoad Incarnationem, Nativitatem, Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem Christi, aliæque ejus mysteria prædixerunt in particulari, quoad singulas illorum circumstantias, modo, quo ea videmus impleta. Etenim Baruch 3. de Deo Incarnato dicitur est: *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

582. Christi Nativitas ex Virgine prædicta fuit Isaïæ 7. *Et ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Bethlehem Judæ locus assignatus fuit Nativitati, Michææ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te enim egreditur, qui sit dominator in Israël, & egresus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Christi prædicatio prædicta fuit Isaïæ 61. *Spiritus Domini*

Q999 2